**Oratio Harveiana in honorem medicinae, inque memoriam eorum, qui de Collegio Regali Medicorum Londinensi bene Meriti sunt, ex instituto celeberrimi viri Gulielmi [sic] Harveii ... 1809 / [William Heberden].**

**Contributors**

Heberden, William, 1767-1845.
Royal College of Physicians of London.

**Publication/Creation**

Londini : J. M'Creery for T. Payne, 1810.

**Persistent URL**

https://wellcomecollection.org/works/ngd45hsz

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

wellcome collection

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

28038/C

B. xxiv. Har

# ORATIO HARVEIANA,

IN

HONOREM MEDICINÆ,

INQUE MEMORIAM EORUM,

QUI DE COLLEGIO REGALI MEDICORUM

LONDINENSI

BENE MERITI SUNT,

EX INSTITUTO CELEBERRIMI VIRI

GULIELMI HARVEII,

HABITA

IN THEATRO COLLEGII,

DIE OCTOBRIS XVIII^vo A. D. MDCCCIX,

A

GULIELMO HEBERDEN,

GEORGIO TERTIO ET CARLOTTÆ,

REGI REGINÆQUE BRITANNIARUM,

MEDICO.

LONDINI:

VENIT APUD T. PAYNE, PALL MALL.

TYPIS JOHANNIS MACREERII, BLACK-HORSE-COURT.

1810.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

ORNATISSIMO VIRO

LUCAS PEPYS, BARONETTO,

PRÆSIDI,

SOCIISQUE COLLEGII REGALIS MEDICORUM

LONDINENSIS,

HANC QUALEMCUNQUE ORATIONEM,

IPSORUM JUSSU EDITAM,

CUM SUMMI STUDII ATQUE OFFICII TESTIFICATIONE

DICAT

GULIELMUS HEBERDEN.

# ORATIO HARVEIANA.

Bene ac sapienter, Auditores, institutum est, viros præstantes festis diebus celebrare, et virtutes majorum solenni commemoratione quodammodo renovare. Quid enim excogitari potest aut juvenili animo utilius, aut honesto cuique jucundius pulchriusque? Erigimur omnes virtutis amore, atque animos et mentes nostras ipsa cogitatione hominum excellentium conformamus. Itaque veteres Græci Romanique, belli pacisque artibus per orbem celeberrimi, clarorum virorum statuas et imagines in locis publicis et vestibulis collocabant, non magis in honorem mortuorum, quàm ut laudis antiquæ, rerumque bene gestarum memoria ad præclara facta alios accenderet. Quamobrem quis nobis jure succenseat, si Linacrum, Harveium, Sydenhamum, Mortonum, aliosque artis medicæ apud nos duces atque principes paulo gloriosius extollamus? Quorum profecto opera atque industria squalorem sordesque exuta est Medicina, locumque inter artes honestas proprium consecuta. Quod

tum fieri cœptum est, cum homines ingeniosi veterum libros evolverent, et rerum cognitione instructi, liberique rationibus falsis, ad medicinam illustrandam rectis studiis contenderent. Quamdiu (quod precor ut diutissime sit) stet doctrinæ liberalis et medicinæ honos, aut sit aliqua benefactorum grata recordatio; tamdiu horum nos memoriam laudibus gratiisque prosequi non desinemus.

Atque ut inde oratio mea proficiscatur, unde hæc omnis causa ducitur, Linacrus, Collegii hujus conditor egregius, ea ætate floruit, quæ semper feretur et prædicabitur, discussis longæ noctis tenebris, cum resipisceret mundus, et velut ex altissimo somno tandem expergisceretur. Multa secula torpuerat genus humanum superstitione inani gravique ignorantia oppressum; sublata erat Philosophia, perierant artes omnes honestæ, et tellus universa deformis incultaque inhorruerat; donec literarum quoddam quasi novum sidus illuxit, cujus ortus lucem caliganti reddidit orbi, atque omnia nubibus circumfusa denuo illustravit. O Scientiam amabilem! O divinæ rationis progeniem! quæ vi sua excitat animatque cuncta; quæ homines a bestiis secernit, tollitque ab humo, et ad majus quoddam dirigere consilia potest mortalia! Scientiam hanc ut revocaret instauraretque inter primos contendit Linacrus; et bonarum artium omnium studiosus eruditionem politam et liberalem in

Britanniam intulit. Nam, ut ex academia excessit, Bononiam profectus est, (erat enim tunc Italia in omni genere disciplinæ celeberrima) atque ibi summa diligentia doctrinam excoluit. Inde Florentiam venit, optimisque magistris usus, literarum Græcarum peritissimus factus est. Pòst cætera Italiæ oppida, et Romam adiit, inque ea urbe ad studia philosophiæ medicinæque acriter incubuit: neque enim Aristotelem atque Galenum perlegisse contentus fuit; sed utriusque autoris plures libros Latinis literis eleganter illustravit. Idem in patriam redux Oxonium se recepit, ubi medicinæ præcepta, quæ peregre didicerat, suis explicavit; atque honestioris institutionis primordia, ac quædam quasi semina jactavit, unde opima illa disciplinarum seges demum surrexit. Ecquod vero munus reipublicæ adferre majus meliusve potuit, quam ut doceret atque erudiret juventutem? Siquidem ante id tempus nihil ferme tradebatur in academiis præter argutias disputandi, et subtilitates Theologicas, et vetera quædam Aristotelis decreta: non philosophiæ vox exaudiebatur; non veritatis agnoscebatur autoritas. Deinceps vero accesserunt bonæ literæ; accessit sapientiæ cultura; accessit autorum copia; accessit investigatio veri; accessit optimarum artium studium, et omnis liberalis et digna homine ingenuo doctrina. Quæ vero Linacri præcipua laus est, nobisque imprimis et piè et gratè prædicanda, Collegium hoc florentissimum, cum adhuc nullum esset, ab initiis constituit, ordinavit, re-

giisque auspiciis stabilivit; quo facto medicinam tandem a magicis vanitatibus, et fraude monachorum, circulatorumque temeritate vindicavit, et in pristinam dignitatem restituit. Quod si sunt, ut sunt, in his regionibus, qui se pro medicis gerunt, cum nihil minus sint quam medici; si sunt, qui pro salutiferis mortifera conscribunt, quique ob quæstum aut ambitionem ægrotis male consulunt; iniquum fuerit hominum vitia in artis calumniam detorquere. Linacrus certe non parum repressit horum veteratorum malitiam, improbitatemque restrinxit, cum omnia legibus subjecisset, et, quantum fieri potuit, providisset ne cuicunque medicum se professo statim crederetur; sed ut philosophiæ ratio aliqua, contemplatioque naturæ, et studii disciplina requireretur. Nam si cæteris in rebus temeritas et ignorantia vitiosa sunt, eò magis in medicina, cui salus et vitæ civium commissa sunt.

Proximus Linacro ætate, proximus studiis et ingenio Caius fuit; qui non modo Collegii hujus initia novis insignibus, nova dignitate ornavit; sed ad medicinam recte intelligendam anatomiæ cultura, cæteraque doctrina plurimum contulit.

Sed ad aliud nomen festinat oratio, quod in extremum usque reipublicæ diem non desinet nobis omnibus præcipuè carum esse atque honoratum. Fuit enim Harveius cum cæteris artibus, quæ quidem dignæ libero essent,

ornatus omnibus, tum acer investigator et diligens earum rerum quæ a natura involutæ videntur. Neque is tantum, cujus gloria gentis suæ limitibus contenta sit, apud alios memoria virtutis nulla extet; sed vivit vigetque Harveii fama, ubicunque humanitatis studia recoluntur. Ad magna inventa alios fors, alios animi vis, alios labor assiduus provexit; huic acre ingenium sic aluerat industria et cognoscendi cupiditas, ut ad reconditas res exquirendas quodammodo natus esse videretur. Quod decretis Aristotelis atque Galeni olim præfinitum fuerat, ad experientiam et judicium ausus est revocare; rupitque illa, quibus mens diu astricta fuerat, opinionum vincula; docuitque naturam ipsam contemplari, et antiquitatis commenta, non quidem inconsultè, fortiter tamen expendere.

Exercitationes ejus de animalibus, etiam hac ætate, cum pleraque perfectius cognita sunt, quis non miratur? In quibus vitam nascentem, et incipiens palpitare cor deprehendit, et animantium quodque ab ovo deduxit suo. Tum quod maximum est, sanguinis cursum reditumque sic comperit, sic explicavit, immo vero in hujus collegii theatro, in oculis conspectuque omnium sic exposuit, ut posteri nihil adjicere, nihil detrahere potuerint, nihil plenius meliusve demonstrare.

Cum vero tantæ olim lites inter artis professores ex

hac doctrina accensæ sunt, haud abs re fuerit, quid de motu sanguinis veteres cognovissent, quid addidissent recentiores, quid denique Harveius ipse repererit, paucis, ut potero, ostendere. Nam veteres illi cum a cibis in os sumptis fieri sanguinem, totumque corpus ali perciperent, decreverunt, ut æquum erat, intestinorum anfractus sequi, unde sanguinis ortum fontesque eruerent. Quo consilio cum viscera perscrutarentur omnia, venæ mesentericæ obvias sese dederunt, per quas, veluti radices, secretus a reliquo cibo succus is, quo alimur, intus reciperetur, et permanaret ad venam portarum et ad jecur. Jecur autem, tum propter situm suum cordi propinquum, tum propter molem grandiorem, et majora sua vasa, et funem quoque umbilicalem eò delatum, ex omni parte visum est digna, qua sanguis conficeretur coquereturque, officina. Itaque in illo fingi et formari sanguinem, non sine causa, credebant: ex jecore deinde in venam cavam confundi, perque illius ramos, maxima sui parte, in totum corpus distribui, aliquem vero in dextrum cordis ventriculum perlabi. Rursus a corde pulmones ali censebant, sanguine per arteriam pulmonalem delato; quod superêrat, septum cordis permeare, et sinistrum ejus ventriculum implere. Interea venæ pulmonalis duplex visum est officium, cum hinc sanguinis fuligines, quas vocabant, exhalaret; illinc auram nescio quam ad se traheret, cordique referret: dum cordis ipsius munus erat, hunc cruorem et hanc auram inter

se miscere, et spiritum inde vitalem efficere, quem denique arteriæ in omne corpus diffunderent. Ita per venas et arterias crebras multasque toto corpore intextas vim quandam incredibilem et vitam in extremas usque partes pertinere persuasum est.

Diù invaluerat in scholis medicinæ hæc opinio de origine et distributione sanguinis; donec Servetus, aliique, quos amant nonnulli prædicare tanquam circuitus ipsius inventores, veterum doctrinæ id adjecerunt, ut septum cordis nihil transmittere docerent, verum quicquid recepisset dexter ejus ventriculus, id totum in pulmones, et ex his in lævum ventriculum ferri. In hoc autem per pulmones itinere, sanguinem, ut ante, fuligines suas respuisse creditum est, atque animam illam divinam secum reportasse, quæ in spiritum vitalem mox concoqueretur. Nihil isti mutavere de usu jecoris, aut venarum: sed illud sanguinem efficere, has deferre, non secus ac majores sui, perperam existimaverunt. Neque ante Harveium quisquam vel conjectura attigit, quod sanguis, qui in artus semel emissus fuisset, istuc, unde exiit, recurreret, et quasi orbem continuatum conficeret. Hujus inventi honos integer est Harveio. Quid sint arteriæ, quid venæ, quid denique ipsum cor, primus monstravit Harveius. Neque sententiam suam sic protulit, tanquam qui illam mentis contemplatione tantummodo assecutus esset; verum, quod repererat, experi-

mentis certissimis illustravit confirmavitque, donec, absolutissima circumeuntis sanguinis patefacta historia, monumentum exegisset, quod nullum tempus, neque ulla invidia poterit labefactare.

Cum vero ob hos, atque alios ejus labores, de omnibus omnium gentium literatis tam bene meritus sit, nos præterea donis beneficiisque plurimis arctius sibi devinxit. Nam non modo Collegium nostrum magno semper amore et benevolentia vivus coluit; sed insuper pecunia, et libris, aliisque muneribus, et hac etiam, qualis qualis sit, solenni oratione in perpetuum auxit.

Hac ratione Linacrus Harveiusque literarum thesauros aperuerunt, explicuere naturam, veræque scientiæ quasi facem prætulerunt. His instructus disciplinis historiam curationemque morborum expedivit Sydenhamus. Cujus quidem ingenii acumen nescio, an judicium acre et certum, magis admiremur. Cum enim vi et celeritate animi in novas partes latus sit; tamen res ita descripsit, ut similitudinem veri fere nullam admiserit, veritatem ipsam nunquam præterierit, sagax fidusque naturæ interpres. Neque tantam alii nova adjiciendo, quantam hic inutilia recidendo, gloriam adepti sunt. Jacebat enimvero medicina vanarum ratiocinationum onere afflicta et propemodum sepulta, cum Sydenhamus exanimatam

suscitavit, et in vitam iterum edidit. Quòd si qui alios fuisse contendant, qui ante illum nonnulla recte observassent, materiamque operi non paucam subministrassent; attamen restitutæ Sydenhamus opifex celebrabitur ædificatorque medicinæ: qui causas morborum proximas, remotas, *προηγȣμενας*, *προκαταρκτικας*, quas vocant, spinasque partiendi et definiendi totas prætermisit, ut, morbi qui sint, contemplaretur, omissisque autoritatibus ipsa re exquireret veritatem.

Hæc igitur novæ fundamenta medicinæ ab illis, quos dixi, autoribus jacta sunt. Quæ, per majorum cineres obsecro, ne quis temere dissolvat, immutetve. Quoniam vero medicinam cum literis ipsis renatam esse vidimus; deinde rerum naturalium cognitione accuratius illustratam; tum denique morborum observatione deligente perfectam et absolutam; nos quoque, quibus hæc legibus commissa sunt, si nobis, si arti nostræ, si patriæ fideles esse volumus, eandem oportebit viam insistere, et pro virili parte cavere, ne quis ad medicinam exercendam se accingat, nisi erit literarum doctrinam, ac naturæ scientiam prius consecutus. Neque enim potiones et unguenta componere, non febres et ulcera agitare, morborumque distributiones omnes cognoscere, satis est medico; nisi literis quoque studuerit, quibus fons perfectæ rationis continetur; nisi philosophiam complexus sit, matrem omnium artium; nisi verum a

falso dijudicare et distinguere, res ab opinionis commento sejungere, scientiaque comprehendere intellexerit. Neque mihi unquam persuaserim summos in medicina viros tantum vigere potuisse, atque ad istud nobilitatis dignitatisque fastigium ascendere; nisi Homerum et Ciceronem omni studio percoluissent, et cum illis, tanquam juvenis athleta cum magistro, ita æmulatione quadam de primis concertassent. Ac me quidem ratio in hanc sententiam ducit, ut existimem sapientiam sine aliqua medendi disciplina parum prodesse ægrotantibus; medicinam vero sine sapientia sæpe obesse.

Quem vero proximum, Auditores, laudabo inter tot laude dignos viros? Pleni sunt annales egregiorum medicorum, et mihi non tam copia, quam modus in dicendo quærendus est. Mortonus medicinam si operibus quidem aliis nullis adjuvasset, (quæ tamen multa fuere,) at propter commendationem corticis Peruviani de genere humano optime meritus esset. Quibus id notis medicamentum eligamus, qua data occasione adhibeamus, ostendit; nobisque, ut ensem clypeumque, in manus tradidit, et fortiter uti jussit. Sive uno cursu urgeat febris, seu intermisso impetu incedat, lentisve passibus et insidiis adoriatur; Mortonus cujusque generis signa distincte et abundanter patefecit, apertoque morbo et occulto mederi docuit.

Ejusdem, vel paulo superioris ætatis, Hamæus fuit, cujus oro ut nunquam apud nos intereat memoria, qui maximis periculis bis erepto Collegio insignem pietatem atque amorem declaraverit. Nempe ille, tempore iniquo, cum omnia civilibus armis et tumultu miscerentur, res nostras a manibus impiorum unus libentissime redemit. Idem, cum conflagratio, qualis nulla antea nec posthac, loca circum omnia, templa, domos, tecta nostra consumpsisset, manu liberali et munifica primus pecuniam contulit, aliisque conferendi autor fuit, ut vasti incendiis ac ruinis muri reficerentur, et cum nova urbe ædes quoque Medicinæ pari splendore exsurgerent.

Croonius etiam Gulstonusque, item his priores Caldwallus et Lumleius, perenni laude digni sunt, quòd quo tempore renascens medicina exquisitioribus magistris indigeret, providebant ut prælectiones ab aliquo sociorum quotannis haberentur, quibus motûs animalis ratio investigaretur; morborumque signa sedesque et remedia publice explicarentur; tum ea medicinæ pars, quæ manu curat, incisis corporibus mortuorum, atque alia disciplina illustraretur. Quæ quidem si hodie minoris esse videantur, at olim non ita: nec vulgaris gloria institutorum alteri comparata est, quòd inter ejus munera exequenda Harveius circumeuntis sanguinis doctrinam primum protulit.

Quis Radclivii naturam moresque effrænatos describet? In quo conspicimus ardorem non reprimendum, vimque animi omnia penetrantem, et ingenium præceps, quod legibus consuetis contineri non potuit. Quæ in alio vix tolerabilia fuissent, ea hunc fere extra terminos humanitatis, nescio quo modo, videntur extulisse. Nam habuit in se altum quiddam et excelsum, ad imperandum magis, quam ad parendum, accommodatum, nihil timens, nemini cedens, semper invictum. Itaque foris domique, in convivio, in ægri cubiculo, pariter regnabat. Quo vero studio artes honestas, et disciplinam eam, quam a majoribus accepimus, amaverit, Oxonium suum omni angulo proclamat.

Garthius Freindiusque Musas faciliores coluerunt. His quoque suos instaurare honores, quoties hic reluxerit dies, nobis perpetuum esto. Quippe qui severa urbanis relevare docuerunt, et medici gravitatem cum venustate conjungere. Cum enim ipsi animos suos non modo utilissimarum rerum cognitione, optimisqne disciplinis instruxissent; sed et artibus elegantissimis, omnique literarum suavitate ornavissent; viderunt profecto et experti sunt, quam vim habeat ad severiorem eruditionem vel commendandam, vel illustrandam, harum elegantiarum ratio; quam arcta inter Medicinam et bonarum artium disciplinam cognatio intercedat.

Quis Sloanium nescit? Quis Nicholsium? Quorum alter notitiam herbarum; subtilem alter humani corporis fabricam, magna industria diligentiaque explicuerunt. Hinc morborum sedes causasque clarius cognoscere; hinc remedia eorum certius comprehendere cæptum est. Sed quid ego hæc repetam? Consecrata est æterna Sloanii nominis memoria eo die, quo conditum est Museum illud Britannicum refertum omnibus rebus, quæ vel naturam illustrent, vel mentem humanam informent. Unde non modo huic urbi magnum decus atque ornamentum accessit; sed et artibus omnibus ingenuis, et universæ scientiæ nova lux allata est.

In hoc theatro, et tanquam templo Medicinæ, Meadii nomen silentio præterire nefas fuerit; qui tanta liberalitate, tamque magnifice hominis literati ac medici munus explebat, ut aliquid dignitatis arti ipsi additum sit. Ecquis enim in literis, ecquis in philosophia, ecquis in artibus aliis ingenuis, vel delectationem quærebat, vel operam collocabat, quem in Meadii ædibus non invenires? Ibi consultationes eruditorum; ibi adolescentium hortationes; ibi sua quisque incœpta Meadii judicio ac patrocinio submittebat. Etenim universa Europa certissimum in illo literarum præsidium agnovit: Quarum amore cum a prima statim pueritia captus esse videretur, earum studia nunquam postea intermisit: verum inter assidua negotia his etiam vacabat, et laborum

tædium his oblectamentis levabat. Nos quoque, O Socii, aliquid nostrorum studiorum philosophiæ et doctrinæ liberali semper impertiamus; vel ut eos imitemur, quos colimus; vel ut illud ipsum, cui studemus, facere possimus ornatius.

Dum ab his remotioribus ad nostra tempora descendat oratio, alius atque alius occurrit animo, et in singulis me libenter commoraturum urget. Nam sua cuique ætati decora ac lumina fuerunt, neque hoc Collegium vacuum fuit unquam ab iis qui artem suam ornarent. Neque equidem inter hos Pringleium prætermittendum arbitror; qui cum universam rerum cognitionem animo complexus est, tum medicinam amore singulari coluit et prosecutus est. Ingenii fuit perspicacis, virilis, quod omnis scientiæ fundamenta ad experientiam revocabat; præterea pietate insigni, morumque integritate, et maxima benevolentia, omnibus bonis carus factus est. Itaque doctissimorum hominum familiaritatibus domus ejus semper florebat; multæque ab eo scriptæ epistolæ externos etiam in societatem studiorum trahebant. Quos vero edidit libros quis non legit? Quis, qui legit, non admiratur? In quibus morborum historias succincte, absolute tamen, exposuit; inque causas eorum, non tanquam plerique nescio quid somniantes, sed ubi veri aliquid subluceret, ipsæque res rationes suggererent, ut decet prudentem, inquisivit. In ea vero parte, quæ ad

curationem attinet, omnes, meo quidem judicio, superiores vicit. Dysenteriam, Febremque castrensem, geminam militum perniciem, persequi et tollere imprimis conatus est: et validissimus nobis autor fuit, ut aër purus, et mundities, et laxius habitare, quanti sint, intelligeremus. Unde etiam maximum illud malorum gravissimumque, Pestem, his saltem regionibus, Deo juvante, extinctam esse speramus. Neque vero de corporis tantummodo affectibus quam plurimis accurate diligenterque scripsit; verum etiam prudentiæ militaris documenta tradidit nunquam obliviscenda. Quæ loca, quæve tempora militiæ eligenda sint; ubi castra metenda; quid in quoque loco præcipue vitandum; quid denique ægris conveniat, quid sanis, explicavit luculenter, duramque belli fortunam, non mediocriter lenivit.

Antequam finem dicendi faciam, quidam mihi vix sine lacrymis nominandi sunt, quos amore propiore dileximus, quos oculi omnium inter hæc subsellia etiam nunc desiderant. Ubi scilicet Warrenus? Ubi Bakerus? Et tu quoque, quem sicut vivum amplecti et audire semper fuit mihi jucundissimum, ita mortuum honorare nunquam desinam. Taceam, O Socii, an loquar? Immo vero a me petere unumquemque vestrum puto, ut de optimo Parente pauca saltem dicam. Nisi enim me fallat gratissima memoria et amoris magnitudo, non

alium cognoveritis aut integritate vitæ excellentiorem, aut optimarum artium studiosiorem, aut exercitatione medicinæ humaniorem extitisse. Quo quidem animo medicinam excoluerit, testantur Acta hujus Collegii Medica; cujus operis cum ipse suasor et autor fuisset, tum illud multis et utilissimis tractationibus amplificavit: testatur Commentariorum volumen, quod post mortem editum est, in quo non magis eruditionem judiciumque admiramur, quam industriam ac laborem. Nihil ex opinione admisit, nihil ex conjectura, nihil ex probabilitate; quicquid autem vel novum addiderit, vel receptum confirmaverit, ex usu et diuturna observatione, qua maxima fide potuit, duxit. Quid mirum, si immensum sui desiderium nobis reliquit? Non enim ille in luce modo, atque in oculis civium magnus; sed intus, domique præstantior. Qui sermo? Quæ præcepta? Quam multæ literæ? Magno enim studio cum omni literarum generi, tum philosophiæ deditus fuit; nec vero ineunte ætate solum, sed et in omni vitæ spatio; in quo ita magna fuit medendi occupatio, ut non multum, sub ipso tecto, otii relinqueretur. Quid ego divinarum rerum contemplationem memorem? qua delectatione satiari nulla ætas potest. Pater dilectissime! quid non virtutes istæ, tuusque in me animus mereantur? Sed admiratione te potius, quam temporalibus laudibus; utinam quoque similitudine possemus decorare.

Diu manebit apud ægros Warreni desiderium; qui unus omnia audire, intelligere, intueri videbatur, omnes adire, omnibus satisfacere. Nam morborum naturam, hominumque mores adeo facile perspexit, ut non tam investigasse dixeris, quam arripuisse. Ergo sanorum deliciæ fuit, ægrotantium præsidium, morientium etiam perfugium aliquod et solatium. Quos enim medicamentis restituere non valebat, colloquio tamen sic deliniebat, ut, quoad assideret, viderentur dolorum paulisper oblivisci.

Puto vos, Auditores, animis vestris præcurrere meæ orationi, dum Bakeri nomen venerandum subjicio. En cathedra, qua tot annis consedit! En sceptrum, quod manus ejus toties tractavit! En hæc frequentia et consessus sociorum, quem autoritate sua tam sæpe continuit! Etenim usu venit, ut acrius aliquanto et attentius de claris viris locorum admonitu cogitemus. Meministis ipsi quanta esset in illo veteris doctrinæ perceptio, quanta vis memoriæ, quam subtile judicium; qua scribendi laude emineret, quo ingenio floreret, quam splendide apud vos magistratum gereret. Neque enim consuetudine tantummodo jucunda, et multorum officiorum conjunctione nos privatos videmus; sed et interitu talium sociorum dignitatem nostri Collegii aliquo modo diminutam dolemus. Manent immo vero, et mansuræ sunt virtutes ejus, cum nostris omnium mentibus non sine

reverentia quadam infixæ, tum præclaris sacratæ operibus. De Dysenteria, deque Catarrho sic scripsit, ut nihil possit perspicacius elegantiusve. Tum quoque Acta Collegii Medica quot tractationibus, quam excellentibus ornavit? Multa quidem prætereo, ut ad ea, quæ de plumbi facultatibus diligentius protulit, paulisper animum advertamus; quæ non modo doctrina admirabili scripta sunt, et exquisitis rationibus confirmata; sed, quod majus est, exitu quoque memorabili prædita. Damnonii enim, inviti licet, veritatem monitorum tandem agnoverunt, et proinde Colica et Resolutione brachiorum, morbis regionis istius olim frequentissimis, nunc parum abest quin omnino liberati sint. Quòd si unum civem qui servasset, corona quondam civili esset donandus; quid ille meruit, qui totam provinciam in salutem vindicavit? Quinetiam alii operi arduo ac salutari summe incubuit Bakerus, ut obsoletam magna ex parte et antiquam redintegraret ornaretque Pharmacopœiam. In quo libro cum singula accuratius simpliciusque præcepta sunt; tum universa sermonis brevitate quadam et nitore, raro aliàs conspectis, descripta. Nec si nos in hoc genere novare aliquid nuper voluerimus, id Bakero objiciendum erit; neque ipsi repugnabimus nostros labores si proxima ætas delebit. Cupimus enimvero et speramus, ut, quemadmodum aliæ artes, quæ ad medicinam pertinent, adolescunt ætate et amplificantur; sic quoque medicamentorum natura, viresque,

et misturæ in annos singulos melius perfectiusque comprehendantur.

Bakerum vero amisimus, cum ætas jam perfuncta rebus amplissimis, et sapientiæ laude perfructa, in morte, tanquam in portu, conquiescere videretur. Quibus autem lamentis, quo luctu Te, Huntere, et Te, Pitcairne, prosequemur; quos vigentes adhuc mors occupavit, atque ambos unus annus nobis eripuit? Cognitione, prudentia, moderatione animi prope æquales fuerunt. Fama quoque utrique par, sed alia alii. Alter militiæ, domi alter clarus factus est. Hunterus cum in Insulas Occidentales cum exercitu profectus esset, ita militum curam agebat, ut ejus operam et sedulitatem satis laudare non possim. Nihil quidem, quod ad sanitatem tuendam ullo modo pertinebat, videtur neglexisse; sed et tempestates cœli accuratissime observavit; et locorum opportunitates providentissime monstravit; morborumque causas, et signa, curationemque sedulo investigavit; postremo, quod nostra præcipue interest, omnia, ut scitis, libro perutili comprehensa edidit.

Quòd si Hunterus in castris, et infamibus Indiæ occidentalis locis, magna medendi diligentia celebritatem consecutus sit; non minus Pitcairnus de patria bene meritus est, qui valetudinario Sancti Bartholomæi plures

annos singulari laude præfuit: in quo pauperes pene innumerabiles cura sublevavit, multosque discipulos, præceptis ex re natis, ad medicinam faciendam optime instituit. Nam fuit in illo gravitas et autoritas, quanta magistrum decet; simul gratia et probitas, quibus discentium animos mire ad se allexit. Postea, relictis publicis muneribus, cum ad privata totum se converterat, inter summi ordinis ægros occupatissimus vixit, donec adversa valetudo, ut sibi caveret, monuisset. Tunc sine mora Ulyssipponem se subduxit, ubi otium perinde ac salutem reciperet. Inde ut rediit, paucos modo curare constituit, neque, ut ante, mediis negotiorum fluctibus se implicari sivit. Medicinam tamen adhuc exercebat, crescente etiam ætate vegetior factus, cum hominem temperantem, summum medicum, tantus improviso morbus oppresserit, ut præclusis inflammatione et tumore faucibus, vix diem unum atque alterum superesset. Lugeamus, amici, sortem humanam! lugeamus socios amissos! vel potius eorum sic meminerimus, ut quotiescunque de clarissimis et beatissimis viris cogitemus, nosmetipsos ad virtutem accendere, et ad omnem fortunam paratiores præstare videamur.

Multos præterea nostrum Collegium tulit singulares viros, qui non minus his profecerunt; aut si minus, tamen officio suo ac muneri nequaquam defuerunt. Sed non omnia sunt hujus disputationis ac temporis; neque

fas est singulos ordine nominare, aut omnia artis incrementa fusius persequi. Nec tamen non licebit mihi hodierna concione juveni humanissimo, Eberardo Brandæo, gratias agere et habere pro beneficio in nos nostraque studia nuperrime collato, quòd medicamentorum simplicium omnis generis maxima reposita copia ædes nostras locupletavit. Precemur, ut illi res omnes fauste, feliciter, prospereque eveniant. Sed, ut eò, unde abiit, redeat oratio; sive anatomicam animadvertamus, sive Botanicam, sive Pathologicam, sive Therapeuticam, sive Pharmaceuticam, ex omni parte Medicinam auctam ac renovatam conspicimus. Quid de morbis ipsis loquar? Quorum alii majoribus infestissimi jam penitus suppressi sunt; alios etiam nunc permanentes recentiora inventa dentibus quodammodo, unguibusque spoliaverunt. Quis hodie fædam horret Elephantiasin? Quis funestam Pestem? Dysenteria quoque, et Febris Remittens, et Miliaria, et Rachitis, Scorbutusque, nunc prope dicam ignota aut contempta, quantam hominum vim olim consumpserunt? Quid? Variolæ illæ odiosæ, quibus hinc mors, hinc deformitas comites ire solebant, nonne jam jamque contrahunt se, et spem aliquam injiciunt paucis abhinc annis exterminatum et deletum iri? Tandem desinant homines vetera tantum et antiqua mirari, suorum temporum studia irridere atque contemnere. Utique nostræ ætatis egregiique imprimis Præsidis olim laus erit, quod res omnes novo ardore, novis

animis administrentur. Vidimus statuta recognita; repetita Acta Medica, multos annos intermissa; instauratam Pharmacopœiam; perpetuumque inquisitioni remediorum concilium constitutum: vidimus indoctorum licentiam coërcitam, inimicorum motus compressos, auctamque autoritatem nominis nostri. Jam quoque Rex et Senatus nos honorificentius respicere, libentius consulere assuescunt. Modo enim febres forinsecus minitatæ sunt; modo variolarum vaccinarum utilitas perpendenda fuit; modo a canibus rabiosis metus incessit; quæ ad nos omnia, sicut decebat, relata sunt, nosque eo ipso astrictius cum republica conjunxerunt.

Denique, ut his finem aliquando ponam, quicquid patres nostri ex pluribus Europæ Academiis hinc atque hinc colligebant, unum hodie præstat Londinum. Seu quis fabricam corporis admirabilem, subtilemque naturam cupiat intueri, et perspicere quæ vis cuique parti insit; hìc in scholis Anatomicorum omnia ante oculos accurate exposita habet. Sive afflictum morboque oppressum ut possit relevare, quærat; hìc licet integros fontes accedere, et ab ipsa natura haurire disciplinam, cum in valetudinariis publicis adducitur ad ægri cubile, et pro se quisque audit ac videt, qualis ipsius habitus, quotuplex morbi facies sit, tum quid contra efficiat medicina. Adhæc, et horti sunt herbis omnis generis referti, et rerum preciosissimarum amplissimi thesauri,

et ingens librorum copia, et magnus concursus honestissimorum studiorum. Ergo illa etiam nobis gloria contigit, quòd cum in cæteris diu artibus ac disciplinis, sic quoque in Medicina principatum totius Europæ teneat Londinum. Quæ ut ita sint; ut sit omnino in aliquo loco ars nostra, illi, quorum hodie laudes celebro, effecerunt gravissimi viri. Vos autem, Socii carissimi, ut potestis, ut facitis, conservate hujus Collegii concreditam vobis dignitatem; præstate et enitimini ut nihil turpe, nihil inhonestum has ædes contaminet; ne desidia, neve ignorantia intrinsecus labefactet; neque violet extrinsecus malevolorum invidia aut impudentia; sed ut decus et existimatio incolumia ac salva ad posteros descendant, utque medendi ars in dies magis magisque amplificetur et exornetur.

FINIS.

Typis Johannis Macreerii, Black-Horse Court,
London.